

pheta, III Reg. XXI, 44 : « Fecit, inquit, Sedecias cornua ferrea, » ut ferrum et invictum robur regis Achab exprimeret, cui adulans ait : « His ventilabis Syriam. » *Tertio*, quia faber communiter ferrarium significat, nisi addatur murarius, lignarius, vel quid simile. Vatablus tamen et Arias, uti cornua naturalia accipiunt, ita et per *fabros* accipiunt cornuarios, vel tornarios, qui scilicet in cornibus tornandis, secundis, poliendis laborant. Porro angelos hæc bona prestifisse Hieronymus, que hic promittit Zacharias, patet ex evo- luto : nam mox urbs et templum pacifice et splendide restaurata sunt, æque ac aliæ urbes Judæe. Unde cap. sequenti vidit Propheta virum fune dimitentem Jerusalem, hoc sine, ut eam reedificet, tantumque in ea numerum civium, ut urbs omnes non caperet.

Moraliter, omne sub regno graviore regnum est.

Moraliter, disce hic primo nullam esse potentiam regum vel tyrannorum, que non habeat aliam potentiores supra se, ad quam oppresso confugere et appellare liceat. « Omne sub regno graviore regnum est. » Et Horatius, lib. III, ode 1 :

Regum timendorum in propriis greges,  
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Quocirca Eccles. cap. V, 7 : « Si videris, inquit, calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti iustitiam in provincia, non miretis super hoc negotio; quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii; et insuper universæ terre rex imperat servienti. »

Mira vis angelorum.

Secundo, magnam esse vim et potentiam angelorum in omnes reges et regna, utpote qui solo ostentato malleo, vel ferro, quo decussuri sunt cornua regum, illico ipsos terrore et tremore percipiunt : hoc enim significat *delettere*, et efficacius hebræum *hacharid*, id est *tremore concutere*. Hinc Daniel, licet vir sanctus et fortis, videns angelum, cumque alloquens cap. X, 17 : « Domine mi, ait, in visione tua dissoluta sunt compages mee, et nihil in me remansit virum; sed et habitus meus intercluditur. » Et mox de sociis : « Porro viri qui erant mecum non viderunt; sed terror nimis irruit super eos, et fugerunt in absconditum. » Sic passim in Scriptura viso angelo de vidente dicitur : « Timor vel terror irruit super eum, » uti dicitur de Zacharia Luca 1, 12. Ubi S. Ambrosius : « Perturbamur, ait, et a nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicujus superioris potestatis occursu. » Quin imò veterum opinio et sensus erat, adeo potentes et terribiles esse angelos, ut ei qui eos videret necessario moriendum esset. Inde enim est illa vox Manue, qui fuit pater Samsonis : « Morie morierum, quia vidimus Dominum, » puta angelum, *Jud.* cap. XIII, 22.

Mystice, quatuor cornua sunt quatuor nationes.

Mystice S. Hieronymus : Quatuor cornua, inquit, que singulos domum Dei spiritualem edificare volentes impetunt, sunt quatuor passionis anime puta gaudium, tristitia, metus et spes

sive cupiditas, quas hoc versu complexus est Poeta :

Hi metunt, cupiunt, gaudentque, dolentque.

Quis enim est, etiam fideiolum iustorum, qui non agitur nunc metu, nunc spe, nunc lætitia, nunc tristitia? Quatuor fabri sunt quatuor virtutes cardinales, que hæc passionibus edomant, nimirum prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia. Ita S. Hieronymus. Aut magis proprie et pertinenter, sunt hæc quatuor. *Primo*, penitentia que sternit gaudium. *Secundo*, abnegatio sui et resignatio in voluntatem Dei, que interimit tristitiam. *Tertio*, magnanimitas et confidentia in Deum, que profigit timorem. *Quarto*, contemptus mundi, qui suppressit spem. Qui enim cum Magdalena desert sua peccata, hic spernit omnia mundi gaudia, totusque mundus ei amarescit. Qui abnegat se suaque commoda, ac se resignat in voluntatem Dei, hic de nulla re fristatur; sed omnia æquo animo suscipit de manu Dei, qui diligentibus se facit omnia cooperari in bonum. Qui magnanimus est Deoque confidit, nil metuit. Qui contemptum omnia que in mundo sunt, æque ut vana, vilia, brevia et exilia despicit, hic nihil in mundo sperat. Porro apte addit S. Hieronymus : « Qui vitia destrunt, virtutes ædificant, omnesque sancti qui hæc remedia possidentes instaurant semper Ecclesiam, fabri appellandi sunt. Unde et Apostolus loquebatur : Quasi sapiens architectus fundamentum posui. Et iratus Dominus de Jerusalem ablatum se dicit architectum, et virum sapientem. Et ipse Dominus Dei omnipotentis filius et creatoris omnium, fabri filius appellatur. » Addit S. Hieronymus : « Legi in eisdem commentariis, quatuor fabros quatuor Evangelistas intelligi, qui oppressum Israel, sensum videlicet videntem Deum, et Judam Dominum continentem, et Jerusalem visionem pacis, in pristinam sedem restituant, et quos vitiorum Genes disperserat de Ecclesia, per predicationem Evangelii retraxerunt ad salutem. » Pari modo accipias quatuor Ecclesie doctores, S. Augustinum, S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Gregorium. Hi enim quasi fabri edificaverunt Ecclesiam sua doctrina et libris.

Secundo, magis apposite per quatuor cornua possumus accipere quatuor vitia capitalia, que maxime impetunt Ecclesiam et fideles, et quatuor eorum presides demones, quos designat Psaltes *Psal.* LXX, 13, dicens : « Super aspides et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem, » inquit S. Hieronymus. Aspides enim notat invidiam et iram; basiliscus qui visu inermis luxuriam, oculi enim sunt in amore ducens; leo, superbiam; draco, gulam et avaritiam. Quatuor fabri sunt quatuor virtutes et angeli, contra quatuor hæc vitia decerantes, nimirum charitas contra invidiam, castitas contra luxuriam, humilitas contra superbiam, abstinentia

contra gulam et avaritiam : sive Uriel contra Beelzebub, Raphael contra Asmodeum, Michael contra Luciferum, Gabriel contra Bacchum et Mammonam.

Symbolice, quatuor hæc cornua sunt quatuor universales persecutiones et persecutores Ecclesie, qui eam successive a Christo hinc usque impetierunt, quos S. Joannes, Apoc. vi, presignavit per quatuor equos et equites, scilicet album, rufum, nigrum et pallidum. Albus enim significat Christum debellantem Judæos; rufus significat Gentiles, præsertim imperatores ut Neronem, Decium, Diocletianum, quorum faber et succisor fuit Constantinus Magnus. Niger significat hereticos, præsertim Arianos, quorum faber et debellator fuit S. Athanasius, S. Basilus, S. Hieronymus, S. Augustinus, etc. Pallidus significat Mahometanos, quorum fabri ex parte fuerunt reges Hispaniarum; sed fabrum qui plene eos succidat,

adhuc exspectamus : utinam brevi Deus eum ostendat! *Prima* enim Ecclesie persecutio fuit a Judæis; *secunda*, a Gentilibus; *tertia*, ab Arianis; *quarta*, a Saracenis.

Simili modo, tempore primitivæ Ecclesie, quatuor cornua eam impetentia fuerunt quatuor heresiarchæ, scilicet Arius negans Christi divinitatem; Nestorius ponens duas personas in Christo, æque ac duas naturas; Eutycheus constituens unam naturam in Christo, æque ac unam personam; Macedonius negans divinitatem Spiritus Sancti, quorum quatuor fabri et succisores fuerunt quatuor Concilia Œcumenica, nimirum Nicænum contra Arium; Ephesinum contra Nestorium; Chalcedonense contra Eutycheum; Constantinopolitanum contra Macedonium; in quibus præcipuus faber Arii fuit S. Athanasius, Nestorii Cyrillus, Eutycheus S. Leo, Macedonii S. Gregorius Nazianzenus.

Item quatuor vitia hæreses.

## CAPUT SECUNDUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Vidit Zacharias angelum cum funiculo mensorio, ut metiatur Jerusalem a Nehemia et Zorobabele reedificandam, cumque ea funiculo æquo, utpote convoluto, conjiceret timeretque Zacharias erigam fore novam Jerusalem, mox audit alterum angelum promittentem, quod absque muro ipsa habitanda sit præ copia hominum et fumentorum, quodque Dominus sit futurus ei murus ignis in circuitu, et gloria in medio ejus. Quare invitat Judæos, qui metu Chaldeorum aliarumque gentium hostilitum timebant redire et Babylone, ut audacter redeant in Jerusalem; Deum enim illam instauraturum cum templo, ac in eo habitaturum, ideoque effecturum ut nec Chaldæi, nec Samaritæ, nec alia gentes victina vel fabricam impediant, vel Judæorum pacem turbent (1).

Nota hæc ad litteram intelligenda esse de Jerusalem urbe Judæorum : de ea enim hæc est egi, idque filium orationis et plana textus verba deprecant. Allegorice tamen, et potius intelligenda sunt de Ecclesia, que est vera Dei Jerusalem, in eaque orta est, et illi successit, de qua Apostolus Galat. IV, 26. Et quia ad Ecclesiam maxime respicit Spiritus Sanctus, hinc quodam hic augustiora interserit, que temerè Hierosolyma, plura autem et plene conveniant Ecclesie. Ad illam enim data typi alicujus occasione, assurgere et avolare solent Prophete. Qualia sunt vers. 8 : Post gloriam misit me ad lætorem. Erunt præde his qui serviebant sibi. Qui teligerit vos, tangit pupillam oculi mei. Lauda et lætare, filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui. Et applicabuntur gentes mullæ ad Dominum in die illa, etc. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoritus, Hagnio, Lyranus, Vatablus et alii passim, excepto Ribera et paucis aliis, qui hæc omnia in sensu non allegorico, sed litterali accipienda censent, non de Jerusalem, sed de Ecclesia Christi, idque ob verba textus que paulo ante citavi. Verum illa non urgent, uti ostendam in eorum explicatione. Vide Canon. IV et V, quos præfixi Prophetis Majoribus.

1. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum. 2. Et dixi : Quo tu vadis? Et dixit ad me : Ut metiatur Jerusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. 3. Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, et angelus

(1) Emblematis secundi exhibitionem in hoc capite refert Propheta, quo non solum instauratio, verum etiam florantissimus status urbis Hierosolymitanæ describitur. Præmo, oblectatur Propheta vir in urbe demeritatus occupatus, 1, 2; et hujus emblematis expositio datur de

immensa urbis amplitudine, 4; et de suscepta ejusdem a Deo tutela, 5.

Secundo, cum tam præcisa Judæis Deus promittat, cornua est quotquot patriæ amor tenet, missa Babylone ad patriam terram se protinus referre; quo propter adhor-

alium egrediebatur in occursum ejus. 4. Et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum istum, dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus. 5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu : et in gloria ero in medio ejus. 6. O, o fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus : quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus. 7. O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis. 8. Quia hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. 9. Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebant sibi : et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. 10. Lauda, et lætare, filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. 11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa : et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui : et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. 12. Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata : et eliget adhuc Jerusalem. 13. Sileat omnis caro a facie Domini : quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

**Vers. 1.** 1. ET LEVAVI. — Hæc ad præcedentem visionem et ad verba consolatoria de restauranda Jerusalem, cap. 1, 13, pertinere, ideoque eodem tempore, puta eadem nocte et visione visa esse a Zacharia, probabiliter censet Theodoretus. Videtur enim hic esse continuatio præcedentis visionis. Hæc enim symbolis omnibus promittit Deus Judæis restorationem urbis et templi, ad eamque illos incitat et impellit. Unde eosdem angelos hic videt Zacharias, quos vidit cap. præced.

ET ECCE VIR, — puta angelus speciei viri : viri enim formam induerat in corpore aereo a se formato et assumpto (1).

ET IN MANU EJUS FUNICULI MENSORUM, — quo solent architecti metiri longitudinem et latitudinem aedificiorum; ad eamque funiculis in terram defixis, et utraque ex parte extensis comprehensam, edificare, ut justa sit partium omnium symmetria et proportio. Funiculo ergo hoc significat se brevi reedificaturum Jerusalem. Angelus hic videtur fuisse idem qui cap. 1, 8, visus est Zacharias stare inter myrteta, nimirum S. Michael : hic enim erat custos et tutor Synagoge, uti jam est Ecclesiae; unde ad eum pertinebat cura restaurandæ Jerusalem et templi. Similem virum vidit Ezechiel cap. XI, 3, qui funiculo et calamo dimetiebatur templum a Zorobabele reedificandum. Sic S. Joannes Apoc. XXI, 15, vidit

tatur Zacharias Judæos tum dispersos, tum Babylone adhuc morantes, ad reditum in Jerusalem, 6, 7.

Tertio, jam cur debeant fugere exules Judæos motiva adjicit que desumuntur, primo, ex protectione Judæorum futura, 8; secundo, ex partitione hostium et subjectione, 9; tertio, ex Dei adventu et cohabitatione, 10; quarto, ex Gentium et Judæorum in unum populum Dei conjunctione, 11, 12, que omnia ipse Deus operaturus est, cum totius orbis silentio, reverentia et tremore, 13.

(1) Virum Jarchi observat eundem esse, qui vers. 7, (Vulg. 3) angelus cum vate collocutus dicitur, et recte quidem, nam quem vates vers. 6 (Vulg. 2) abeuntem compellavit, eum; vers. 7, exeuntem describit, atque id ita ut angelum collocutorem illum fuisse deserit ponat.

(Rosenmüller.)

angelum arundine mentientem Jerusalem cælestem.

2. ET DIXI (ego Zacharias ad virum habentem Vers. 2. funiculum mensurum, puta ad S. Michael) : QUO TU VADIS? (quid funiculo tuo agere vel metiri destinasti?) ET DIXIT (respondit Michael) AD ME : UT METIAR JERUSALEM (puta aream in qua reedificanda est Jerusalem. Jerusalem enim jam non exstabat, ut puta ante 70 annos destructa a Chaldæis. Unde subdit) : ET VIDEAM QUANTA SIT (id est futura sit, vel esse debeat) LATITUDO EJUS.

Tropologice, funiculus hic significat dimensiones crucis Christi, item charitatis, humilitatis, ceterarumque virtutum, juxta quas edificanda est domus spiritualis, puta fabrica perfectionis, de quibus Apostolus Ephes. III, 18 : « Ut possitis comprehendere eum omnibus sanctis que sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum. » Vide ibi dicta.

3. ET ECCE ANGELUS QUI LOQUEBATUR IN ME. — Vers. 3. Hic fuit angelus proprius Zacharie, qui ei hæc oracula suggererat, et visiones ostendebat, ac proinde diversus a Michael, uti dixi cap. 1, 13. Quocirca S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Hugo, Lyranus et alii passim tres hic nominant angelos, primum, cum funiculo quasi mensorem, qui fuit S. Michael; secundum, prophetalem Zacharie; tertium, « qui egrediebatur in occursum ejus, » puta secundum, ut per eum doceret Zachariam quanta futura esset Jerusalem; tertium hunc autotantum multi fuisse S. Gabrielem; ille enim curatorial erat populi Dei, ut patet Daniel. IX, 21, et cap. X, 5, ubi similiter tres angelos similes, imo fere eosdem cum hisce Zacharie, atque idem pene nuntiantes vidit, Daniel.

4. ET DIXIT AD EUM (puta angelus tertius dixit ad secundum, qui erat custos Zacharie) : CURRE, LOQUERE AD PUERUM ISTUM, DICENS : ABSQUE MURO HABITABITUR JERUSALEM, — g. d. Dic Zacharie puer, non ætate, ut vult Ribera et Emmanuel (erat enim grandævus, inquit S. Epiphanius, Doctrotheus, Isidorus, imo et Martyrologium Roma-

num), sed conditione et statu; quia scilicet erat puer, id est cliens et discipulus angeli sui custodis. Homines enim respectu angelorum sunt quasi pueri, ait S. Hieronymus. Rursum puer, id est minister. Erat enim Zacharias minister angeli, per eum enim angelus Dei de restoratione Jerusalem decretum Judæis annuntiavit. Sic Luca 1, 69, David vocatur puer, id est minister Dei : « Exiit, ait, cornu salutis nobis in domo David pueri sui. » Item Jacob, ibidem vers. 14 : « Suscepit, inquit, Israel puerum suum. » Actor. IV, 27, Jesus vocatur puer, id est minister Dei. Sic Genes. XXIV, 52, servus Abraham, licet senex, vocatur ejus puer. Est catachresis : pueri enim solent ministrare viris et senibus. Sensus ergo est, g. d. O angele, die tuo clienti Zacharie : Tu videns angelum primum, puta Michaelum cum funiculo, putabas Jerusalem reedificandam fore exiguam, utpote parvo ejus funiculo comprehendendam; sed seito te falli : prædico enim et promitto tibi tuisque tantam fore Jerusalem, tamque plenam civibus, ut muris suis eos continere non possit.

Funiculus enim quem vides, licet parvus videatur, quia tenuis est et in glomum convolutus; tamen si evolvatur, uti fiet in dimensione, complectetur ingentem aream, que ingentem capiet urbem; atque urbs ipsa, licet ingens, non capiet incolas, tanta erit eorum multitudo; quocirca per suburbia et villas urbi vicinas habitare cogentur. Ex hoc loco S. Gregorius, homil. 34 in Evang. docet angelos majores mitti minores : « Dum enim, inquit, angelus ad angelum dicit : Curre, et loquere ad puerum istum, dubium non est quin alius alium mittit. Minora vero sunt que mittuntur, majora que mittunt. » Hinc etiam acceperunt Scholastici ea que docent de locutione angelorum.

ABSQUE MURO. — Hebraice פֶּרוּרִי perasot, id est vilis, hoc est, instar villarum absque muro habitabitur Jerusalem : quia tanta erit civium copia, ut urbe capi non possit. Quocirca edificabunt suburbia et villas urbi contiguas, per easque longissime se dilatant ac propagabunt. Unde aliqui sic exponunt absque muro, id est extra murum. Sic enim dicitur Josue cap. XVII, 5 : « Cæderunt funiculi Manasse absque terra Galaad, » id est præter et extra terram Galaad. Non ergo negat Jerusalem cingendam muro, ut volunt aliqui, qui proinde id ad litteram accipiendum volunt de Ecclesia. Non etiam corrigi Michaelum volentem funiculo metiri Jerusalem, ut alii exponunt, g. d. Noli eam metiri : non enim illa funiculo demetienda est : nam sine muris edificanda est, et undequaque dilatanda. Quis enim angelus corrigat Michaelum omnium angelorum principem? Sed sensus est, g. d. Licet Jerusalem statim ob metum vicinarum gentium cingenda sit muro, ut patet Nehem. IV, 17; tamen tanta eo confluet hominum frequentia, ut multi cives extra muros in vicis et villis suburbanis ha-

bitare cogantur. Ita de facto contigit : nam habitant in Bezeta, id est in nova civitate, donec Agrippa rex cepit hæc suburbia muro cingere, teste Josepho lib. VI Belli, cap. VI.

Secundo, et habitabitur potest accipi divitiarum, ut potentiam significet, non actum, g. d. Adeo tuta et secura erit Jerusalem per Dei inhabitantis opem et protectionem, ut sine muro habitari possit. Id enim fieri dicitur, quod aptum est ut fiat; ac id facere quis, quod ut faciat potestatem habet. Sic ait Job, cap. IX, 6 : « Qui commovet, » id est commovere potest, « terram de loco suo. Qui præcipit soli et non oritur, » id est qui præcipere potest soli et non oritur.

Tertio Hebræum perasot, id est vilis, Septuaginta vertunt, frugifera : tales enim solent esse ville. Unde sic transferunt : Frugifera habitabitur Jerusalem a multitudine hominum et jumentorum, que in medio ejus, q. d. Dives, fertilis et opulenta erit Jerusalem; proferet enim æletque innumeram turbam jumentorum sequæ ac hominum. Ita ad litteram de urbe Jerusalem hæc accipiunt Hebræi, S. Cyrillus, Theodoretus et alii. Hæc enim phrasi significat amplitudinem et frequentiam, æque ac securitatem et pacem Hierosolymæ. Dum enim dicitur est belli, nemo dives in villis habitare audeat, sed ad urbes murtas se recipit.

Mystice, id verius est in Ecclesia, que absque muro habitatur : quia toto orbe diffusa est. Ad eam enim undequaque confluit innumera multitudo fidelium, tam hominum, id est jumentorum, quam jumentorum, id est carnalium, qui more jumentorum terræ inhiant. Ita S. Augustinus serm. 131 De Tempore, et Remigius, Albertus, Lyranus, Vatablus, Arias hic. Rursum Ecclesia æque ac anima sancta est perasot, id est vilis, ob amonitatem, libertatem et fertilitatem. Abundant enim spiritali frumento, vino, oleo, fructibus, jumentis et animalibus omnis generis, agris, vineis, hortis, arboribus, fontibus, etc. Quid mirum? Hæc est villa Dei, ejus manibus erecta, aucta, adornata. Ita eandem Ecclesiam propagationem per dilatationem Hierosolymæ, symbolice depingit Jeremias cap. XXXI, 38, et Isaia cap. XLIX, 20 : « Angustus mihi est locus, fæc spatium mihi ut habitem. » Imo S. Hieronymus in Jonam, asserit Jerusalem veterem fere semper in S. Scriptura portate novam; ubique enim hoc ei quasi oneri datum ut Ecclesiam Christi in seipsa præferat et referat, quasi ejus imago et typus, imo mater. Quare in Liturgia S. Jacobi, Jerusalem appellatur Matrix Ecclesiarum; perinde ac Rom. XI, 18, prisci Patriarchæ nuncupantur Ecclesie radix, que portat fideles ex gentibus. Sic S. Augustinus Proemio in Psalm. CXXVI, ait Salomonem gestare figuram Christi, ut in iis que de regno ipsius Scriptura commemorat, non tam sit persona Salomon, quam is ipse personatus Christo; ac proinde utrumque intelligi oportere : quia figuratum sine

Mystice Jerusalem solis typus est Ecclesie fidei

eo quod figurat, percipi noquit. Ita hic substratum, sive fundamentum litteræ est restauratio terrene Jerusalem, cui typice superstruitur fabrica Ecclesie christiana. Ita Fernandus v'sione XXX.

5. ET ERGO ERGO EI, AUT DOMINUS, MUTUS IGNIS IN CIRCUITU. — Chaldaeus: Verbum meum erit ei, dicit Dominus, velut murus igneus dñm per circuitum ambiens. Est occupatio: occurrit enim tactu objectioni, eamque præoccupat, q. d. Ne inieris, o Zacharia, quod dixi absque muro habitandam Jerusalem, neve ex eo metuas quod ad eam hostibus facilis patebit aditus: ecce enim promitto quod ego ipse Deus vester ero et pro muro, eoque non lapideo, sed igneo, q. d. Ego instar muri ignei circum et tutabor Jerusalem, ac solo aspectu hostes fugabo, et civis iustificabo. Alludit ad flammam gladium quo Cherubin custodivit paradisum, Genes. iii, 24, quem non pauci murum igneum exponunt cum Lactantio, lib. II Insti. cap. xii. Paradisus enim Dei olim erat Jerusalem, et nunc est Ecclesia. Rursum alludit ad Psal. xxiv, 2: « Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui. » Et ad Isaia xxv, 1: « Salvator ponetur in ea murus et anemurata. » Ita Theodoretus exponit, q. d. « Mea benignitate ei ero murus, qui transiri et transcendere non possit. Hanc enim vocavit murum ignis. Nam sicut pyra ignis transiri nequit, sic vinci non potest qui gratia Dei custoditur. » Quia, ut ait Rupertus, cum scriptum sit: « Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei, quis tibi hostem timebit? quis de inimico sollicitus erit? » etenim « Deus tutor noster, ignis consumens est, » ut ex Mose ait Paulus Hebr. xii, 29.

Quocirca allegorice et tropologicè murus igneus Ecclesie, et fidelium quorumlibet in particulari, sunt primo, angeli tutelares. De his enim ait Psaltes, et ex eo S. Paulus Hebr. i, 7: « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. » Ita sancti angeli in specie equorum et currum igneorum defenderunt Elisæum contra exercitum Syronum, IV Reg. vi, 18. Ita lidem Eliam currum igneo, ad quem dæmones accedere non audent, præcepit in cælum, IV Reg. ii, 11.

Secundo, Spiritus Sanctus, qui in Apostolos et Ecclesias descendit specie ignis in Pentecoste, quemque jam ante promiserat Christus dicens: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » Luc. xii, 49. Hujus rei symbolo idem Spiritus Sanctus per angelum deduxit Hebræos ex Aegypto, et deserto ad terram promissam in specie columnæ ignis et nubis, que castra præbat eratique dux itineris, et simul ea cingebat et tutabatur ab hostibus, de qua Sapient. x, 17: « Fuit illis in velamento dicit, et in luce stellarum per noctem. » Hoc igne charitatis ardens et cinetus S. Laurentius risit Valerianum, ejusque ignes et cruciatulæ.

Allegorice, murus igneus Ecclesie, primo sunt angeli.

Secundo, Spiritus Sanctus.

Anagogice, Jerusalem et paradisi celestis cinesus est igne purgatorii, per quem omnes in cælum quasi transire debent, ut eo probentur numquam impuri habeant, et si quid habeant, expurgentur, juxta illud I Cor. iii, 13: « Utinuscujusque opus quale sit ignis probabit, etc., si ejus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » Ad hæc Origenes, S. Basilii, Lactantius, S. Ambrosius et Rupertus ex hoc loco et similibus opinati sunt, ante cælum in æthere esse maximos ignes per quos transire et expiari debeant omnes in cælum euntes, etiam S. Petrus et Paulus; de qua sententia quid censendum sit dixi I Cor. iii, 12. Benigne Christus Judæ, et sancti in die judicii cingentur igne conflagrationis mundi, qui deinde impios et damnatos convolvit in tartara, de quo Psal. xlix, 4: « Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. »

Et in gloria ero in medio ejus. — Hebraice לבדוד, *lebadod*, id est ad gloriam; Septuaginta, in gloriam; pro gloria, loco gloriæ; Chaldaeus, gloriæ majestatem meam in medio ejus reponam. Jam gloria hæc dupliciter accipi potest: primo, passive, q. d. in gloria ero, id est glorificabor et colar in Jerusalem per patriæ cultum: ita S. Hieronymus, Lyranus et Dionysius. Secundo, et melius active, q. d. glorificabo Jerusalem, gloriam ei afferam: ita Cyrillus, Theodoretus, Haymo, Vatablus et Ribera, Sanchez et alii. Deus enim habitans in Jerusalem per sui cultum, legem, oracla, miracula, tutelam et protectionem, eam reddebat celebrem et gloriosam apud omnes gentes, teste Josepho lib. XII Antiq. cap. xxvi. Deus ergo erat gloria Jerusalem, juxta illud Jerem. ii, 11: « Populus vero meus mutavit gloriam suam, » id est Deum suum gloriosum, « in idolum. » Hinc illud Psal. lxxxvi, 9: « Gloria dei sunt de te, civitas Dei. » Et Psal. cxvii, 4: « Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni. » Ita Theodoretus.

Secundo, aliqui, ut a Castro, per gloriam Hierosolymæ accipiunt arcam fœderis: ob eam enim captam a Philistæis Neri Heli gravida, et præ dolore exultans frutum ad parientem vocavit puerum *lehadod*, dicens: « Translata est gloria de Israel, quia captâ est arca Dei, » I Reg. iv, 21, ut sensus sit: Ego Deus hierosolymæ ero murus igneus forinsecus, intrinsecus vero in medio ejus ero et pro arca. Sicut enim ad arcam omnes accurrebant, Deum super eam in propitiatorio residentem adoraturi et invocaturi, indeque Deus urbem gubernabat: ita promittit hic se pro arca (quam ante captivitatem ex Jerusalem extulerat et absconderat Jeremias, ut dicitur II Machab. ii, 3) et pro anima in medio Jerusalem futurum, ut omnes civis et incolæ inde animet, foveat, gubernet et regat. Porro Deus tum alias fuit

Anagogice, murus igneus purgatorii.

Arca fœderis vocatur gloria.

gloria Jerusalem, tum maxime quando assumpta carne in ea visibiliter apparuit, docuit, miracula fecit, et Ecclesiam suam instituit. Ita Vatablus. Quocirca allegorice, et potius tropologicè, Deus per Christum est gloria Ecclesie. Quanta enim ejus est gloria, quod caput ejus sit Christus, id est Verbum incarnatum, Deus homo? quanta ejus gloria est, Christi celestis vita, doctrina, Evangelium, sacramenta, gratia, quam in singulos fideles quasi membra sua jugiter influit, qua eos ad beatitudinem et gloriam æternam deducit? Hanc Ecclesie gloriam sub typo Jerusalem graphicè depingit Isaias cap. lx, 1: « Surge, ait, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, » etc. Ita de Ecclesia hunc locum exponunt S. Hieronymus, Haymo, Albertus et Remigius.

6. O, O, FUGITE DE TERRA AQUILONIS. — Hebraice *hoi ho!*, id est heus heus, quod est adverbium hortandi et incitandi ad celarem et contentam fugam, ideoque geminatur, imo triplicatur a Propheta, ut ingentis cladis ingentem pavorem incutiat, ac ingentes stimulos ad eam fugiendam Judæis addat, q. d. O Judæi, qui estis filii Jerusalem et Sionis, fugite de Babylone, que vobis est aquilonaris, in quam quasi in carcerem per septuaginta annos detrusi fuistis, indeque ulterius in Assyriam, Mediam, Persidem: adeoque in quatuor mundi plagas dispersi estis: fugite, inquam, ad patriam vestram, redite in Jerusalem civitatem Dei, quasi in asylum. Multi enim Judæi in Babylone fixerant sedem, quasi ibi perpetuo mansuri, ibique habebant suas familias, merces et opes, juxta consilium Jeremie, cap. xxxi, 3, uti constat de Joakim marito Susanne, Daniel, xiii, 4. Unde difficulter necnon nisi cum factura rerum suarum, se cum suis transferre poterant in Jerusalem, præsertim quia motuebant ne rursum Samaritæ, alieque gentes Jerusalem expellerent, ut ante septuaginta annos fecerant Chaldæi. Hosce ergo excitat et animat ad fugam et reditum, promittens opem et protectionem Dei affore hierosolymæ, ne qui hostes eam invadere audeant. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et Hugo.

Porro Propheta tam serio et studiosè hortatur Judæos ut fugiant e Babylone: tum ne Babyloniis mores et superstitiones induant tam ipsi quam filii eorum, sed ut redeuntes in Jerusalem, ibi Deum pie et sancte colant: tum proprie, quia instabat novum exidm Babyloni, ne illud eos involvat. Babylon enim capta a Cyro, eo casu, et stirpe ejus regia in Cambysæ filio exsincta, cepit cervicis atollere, ac ad pristinum regnum

Vers. 6.

Cur fugiendum Babylone.

et monarchiam aspirare: unde jugum Persarum excussit. Quocirca Darius Hyastips iterum eam obsedit, tandemque expugnavit; idque anno regni ejus quarto, id est biennio post hoc Zacharie de eo oraculum (hoc enim editum est anno 2 Darii, ut patet cap. i, 1) factum esse censet noster Gordomus in Chronol.

Rem gestam narrat Justinus in fine lib. I; Herodotus in fine lib. iii, et ex his Toriellus anno mundi 332. Babyloni, inquit Herodotus, rebellantes Dario, ab eo obsessi riserunt eum, quod omni re ad resistendum instructi essent, dicittantes tunc eum expugnaturum Babylone, cum mula pareret. Frustra ergo urbem, omni licet arte vique adhibita, oppugnavit Darius per viginti menses, quibus exactis mala Zopyri principis Darii peperit. Hoc omen accepit Zopyrus, quasi jam adesset tempus capiendæ Babylonis. Itaque præsidens sibi nares auroque et horrende se vulnerans et mutilans profugit ad Babyloniis, fingens se tam indigne tractatum a Dario, quod ei suavisset solutionem obsidionis; quocirca se eis Darii secreta proditurum, ac in præliis contra eum ducem futurum. Crediderunt ei Babyloni: quare creatus ab eis belli dux, acceptisque urbis clavibus, milites Darii clanculum in urbem admisit, ideoque geminatur, imo triplicatur a Propheta, ut ingentis cladis ingentem pavorem incutiat, ac ingentes stimulos ad eam fugiendam Judæis addat, q. d. O Judæi, qui estis filii Jerusalem et Sionis, fugite de Babylone, que vobis est aquilonaris, in quam quasi in carcerem per septuaginta annos detrusi fuistis, indeque ulterius in Assyriam, Mediam, Persidem: adeoque in quatuor mundi plagas dispersi estis: fugite, inquam, ad patriam vestram, redite in Jerusalem civitatem Dei, quasi in asylum. Multi enim Judæi in Babylone fixerant sedem, quasi ibi perpetuo mansuri, ibique habebant suas familias, merces et opes, juxta consilium Jeremie, cap. xxxi, 3, uti constat de Joakim marito Susanne, Daniel, xiii, 4. Unde difficulter necnon nisi cum factura rerum suarum, se cum suis transferre poterant in Jerusalem, præsertim quia motuebant ne rursus Samaritæ, alieque gentes Jerusalem expellerent, ut ante septuaginta annos fecerant Chaldæi. Hosce ergo excitat et animat ad fugam et reditum, promittens opem et protectionem Dei affore hierosolymæ, ne qui hostes eam invadere audeant. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et Hugo.

Quia illa mot a Dario erat vastata.

Tropologicè, fugite de mundo, de qua potestatis diaboli Babylone, id est et doctrinæ veritatis, sanctitatis et felicitatis: ita de mundo.

Tropologicè Babylon, id est confusio, scilicet vitiarum, errorum et erromarum, est mundus, q. d. Fugite de mundo, de qua potestatis diaboli Babylone, id est et doctrinæ veritatis, sanctitatis et felicitatis: ita de mundo. Lyranus et Vatablus. Rursum, fugite ad statum Religionis, ad claustra monastica quasi ad asylum. Andi S. Bernardum, serm. 30 De Conversione ad Clericos: « Quidni periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, caritas in hoc sæculo nequam? Fugite de medio Babyloniis, fugite et salvate animas vestras. Convolate ad urbes refugii, ubi possitis et de præteritis agere penitentiam, et in præsentibus obtinere gratiam, et futuram glo-

riam fiducialiter prestolari. » Idem, *epist.* 103 : « Ve, ait, va vapor est, ad modicum parens, quod eternæ felicitatis aditum intercludit. Quo usque in tante gloriæ præfers forum, quod hodie est et eras in clibanum mittitur? carnem dico, et ejus gloriam. Si quidem omnis caro fenem, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Si sapias, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ et assequi miserum est. An non ea satius cum honore spernis quam cum dolore perdis? An non prudentius ea Christi cedis amori, quam morti? Est in insidiis predo, cuius manibus nec te, nec tua poteris subducere. Nec poterit provideri, quia tanquam fur in nocte, ita veniet. Nihil intulisti in mundum, haud dubium quia nec quidquam auferes. Dormies somnum tuum, et nihil invenies in manibus tuis. » Lugget, merito luget S. Augustinus lib. II. *Confess.* cap. III, ad adolescentiam suam in plateis illis Babylonie transactam, quoniam cum coetaneos suos audiebat jactantes flagitia sua, et tanto magis gloriantes, quanto magis turpes essent, ipse etiam stimulabatur non modo ad eadem faciendam, sed etiam ad fingendam quæ non fecerat, ne videretur abjectior quo erat innocentior, et ne vilior haberetur quo erat castior. Nimis enim contagiosam rem esse malos sodales, cum dicitur : « Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem. » O si in altam speculam cum S. Cypriano lib. II. *epist.* 2, conscendere liceret, indeque prospicere Babylonem, id est mundum, puta mundanorum varia studia, curas, negotia, sermones, cursationes, labores, undationes, angores, tædia, scelera, ærumnas, clades et strages; sane exclamaremus : O quantum est in rebus inane! O quantum miseriarum pelagus est Babylon! O quam dementes sunt, qui in eo jactari et mergi eligunt! O, o miseri cæcique mortales, fugite de medio Babylonis, fugite hoc malorum diluvium. Inspice vel unam urbem, vel unam domum, vel unam familiam, quanta in ea videbis dissidia, maledicta, blasphemias, quantas obscenitates, et turpitudines imaginum, librorum, verborum et operum; quantos labores a mane in vespere, quantas sollicitudines, quanta tædia, quot infortunia! Hunc videbis affligi febri, illum calculo, tertium asthmale, quartum colica, quintum pleuritide, sextum paupertate, etc., septimum rapina, sterilitate, naufragio, etc. Animas si introspicias, cernes multo magis ægras et miserabiles, ut cum Ose. cap. IV, exclames : « Non est veritas, et non est misericordia et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et fictum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. »

Prospiciebat hæc S. Fulgentius, Ruspensis postea episcopus, qui, ut habet ejus *Vita*, cum senatoria familia esset ortus, ac doctrina, opibus, summo magistratu, clientelis, florenti ætate fortunatissimus haberetur, cepit hujus mundana felicitatis brevitetem et inanitetem perpendere,

ejusque curas, onera et tædia gaudis fallacibus permixta experiri, cumque videret religiosus hisce carere, agereque vitam quietam, liberam, amabilem et sanctam, eos colere et frequentare instituit, ac tandem in hæc verba prorupit : « Cur, obsecro, sine spe futurorum bonorum laboramus in hoc sæculo? Quid nobis denique prestare poterit mundus? Si gaudere desideramus, licet melius sit bene flere quam male gaudere, quanto melius tamen gaudent quorum in Deo tranquilla est conscientia, qui nihil timent nisi peccatum, nihil agunt nisi ex Dei prescripto? Non fatigantur publicis negotiis, non dama rei familiaris aut miserabiliter flere, aut turpiter timere coguntur; nec, cum sua ipsi reliquerint, alienis insidiantur. Vivunt inter se pacifici, sobrii, miles, humiles atque concordēs. Nulla ibi cogitatio libidinis, imo magna sollicitudo et jugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros, arripiamus hæc bene vivendi constantiam, abjiciamus pristinios mores, et mutemus labores. Nitebamur prius inter amicos nobiles nobiliores apparere, nitamur modo inter servos Dei pauperes effici pauperiores. » Hæc dixit, et mox opere præstitit, mirante et factum ejus celebrante universa Carthagine, multis etiam imitantibus, adeo ut eorum copia impleverit cenobia. Vide S. Ambrosium, lib. *De Fuga sæculi*.

QUONIAM IN QUATUOR VENTOS COELI DISPERSI VOS. — *Primo*, aliqui sic exponunt, q. d. Fugite e Babylonem in Judæam, quia ibi dilatabo, et dispergam vos ad quatuor plagas mundi. Dabo enim vobis Philisteam, que est ad Occidentem; Moabitidem, que est ad Orientem; Idumæam, que est ad Meridiem; Samaritam, que est ad Aquilonem. *Secundo*, alii melius, q. d. Fugite e Babylonem, quia ibi non unifi, sed dispersi estis in quatuor orbis plagas, per quas vagamini : redite ergo in Judæam, ut ibi in unum populum et republicam pristinam coalescat. *Tertio*, Sanchez, q. d. Invito vos, o Judei duntaxat, qui in Babylone degitis : non enim loquor ad dispersos in alias terras, quoniam hi dispersi sunt ad quatuor ventos, ne revocari possint. Unde de facto hi soli redierunt qui in Babylone manserunt, non vero qui in alias oras dispersi vagabantur.

7. O SION, FUGE. — « Sion, » id est Sionite, *vers.* 7. puta Judei oriundi ex Sion et Jerusalem. *Pro fuga* hebraice *אֶרֶץ הַיְבוּסָיִם*, id est *prorripe te*, libera te, salva te; Chaldeus, *evade*; Pagninus, *erue te*; Tigurina, *serva te*; Septuaginta, *in Sion* (fugiendo) *salvabitur*, qui habitatis filiam Babylonis. Ecce hæc omnia significant instans Babylonis excidium per Darium : ex eo enim ut se proripiant Judei, præmonet hic Zacharias.

QUE HABITAS APUD FILIAM BABYLONIS, — que habitas in Babylone; *filia* enim *Babylonis* idem est quod *filia Babylon*, puta ipsa Babylon, pulchra et speciosa instar filiae.

8. QUIA REC DIXIT DOMINUS. — Sanchez hæc *vers.* 8.

verba refert ad præcedentia, q. d. Fugite e Babylonem, quia hoc jubet Dominus. Verum ceteri interpretes Græci et Latini codices hinc inchoant versus octavum.

POST GLORIAM MISIT ME AD GENTES. — q. d. Postquam per Esdram, Nehemiam, Zorobabel, etc., gloriose restauravero Jerusalem, ego angelus, puta Gabriel, mittor ad gentes, quæ vos, o Judei, afflixerunt, et Chaldeos in vastatione Judææ adjuverunt, ac ex ea profugos spoliaverunt, ut illas puniam vobisque subjiciam, puta Idumæos, Philistinios, Ammonitas, Moabitas, etc. Ita Chaldeus, Hugo, Mariana et alii. Idem prædixit Abdias in fine sue prophetiæ, et Sophonias cap. I et II. Sunt enim hæc verba non Zachariæ, ut vult a Castro, quasi is mittatur a Deo ad gentes, ut eis prædicat cladem; sed angeli tertii, qui cepit loqui Zachariæ vers. 1, et hucusque sermonem protrahit. Hoc enim exigit connexio textus, et *quæ*. Arias per Persas accipit Persas, quasi angelus hic prædicat Persarum excidium per Græcos et Alexandrum Magnum. Verum Persæ, ut Darius et Cyrus, non spoliaverunt, sed ditaverunt Judæos. Expositio jam dicta videtur litteralis, cui tantum obstat id quod præcessit : « Hæc dicit Dominus exercituum; » cui mox subdit : « Post gloriam misit me ad gentes, » ubi pronomen *me* videtur referre eum qui præcessit, scilicet Dominum exercituum. Verum responderi potest esse hebraicum, quem latine sic emollias et disponas, q. d. Hæc dicit Dominus exercituum, quod post gloriam Jerusalem mittet me Gabrielem ad gentes, ut eas illi fortiter subjiciam. Demus ergo hoc velle corticem litteræ, qui obiter victorias Judæorum videtur hic perstringere; sed negari non debet quin præcipuus sensus sit de Christo, ad quem avolat Propheta, ideoque hæc phrasî utitur. Christus ergo est Dominus exercituum, id est Deus, quem post gloriam Pater misit ad gentes. Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Theodoretus, Lyranus, Yatablus, Clarius, Ribera et alii. Unde doctores orthodoxi contra Arianos recte ex hoc loco probant Filium Dei esse Deum verum, ideoque mysterium SS. Trinitatis. Alius enim hinc a Zacharia assertur Dominus exercituum missus, scilicet Filius; alius mittens, scilicet Pater. Hinc et vers. 10. Dominus missus ad Sionem ait : *Habitabo in medio tui*, ubi Chaldeus clare vertit : *Ponam divinitatem in medio tui*. Jam S. Hieronymus gloriam intelligit eam qua Dei Filius eminebat in celo, post gloriam, inquit, divinæ Majestatis, q. d. Vide dignationem Dei nostri; ecce Verbum Dei post gloriam, quam ex eternitate habuit in divina natura, dignatum est assumere saccum mortalitatis nostræ, ut in eo posset mitti ad gentes, easque morie sua redimere. Solent enim ignominie post gloriam, labores post quietem, dolores post felicitatem, esse acerbiores. Vide Rupertum.

Eusebius vero lib. VI *Demonstr.* cap. XVI, Emmanuel et alii accipiunt gloriam humanitatis Christi, q. d. Postquam ego Christus homo gloriam meam ostendi tot tantisque miraculis a me patratâ, item tot apparitionibus, quibus me ostendi post resurrectionem a morte redivivum; denique post ascensionem misit me Pater ad gentes, ut per predicationem Apostolorum colligerem fideles, præsertim eos qui futuri et permansuri sancti, ideoque eligendi ad vitam æternam. Hæc est enim proprie Christi gloria, de qua *Joan.* VII, 39 : « Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. » Ubi nota canonem S. Augustini, lib. III *Doctr. Christ.* XXXI : « Que in Scriptura dicuntur de capite, » id est Christo, « intellige de ejus corpore, » id est Ecclesie, puta Apostolis et fidelibus, ac vice versa. Sic Christus hic dicitur missus ad gentes, non in se, sed in suis Apostolis, quos ad gentes destinavit. Christus enim in suis Apostolis quasi occupavit perambulavit totum orbem, juxta illud *Psal.* LXVI, 3 : « Iter facite ei qui ascendit super oceanum (puta ad Occidentales orbis plagas) Dominus nomen illi. »

*Tertio*, alii accipiunt gloriam de qua dixit vers. 5 : « In gloriaero in medio ejus, » q. d. Post gloriam, quam Deus sua presentia vobis, o Judei, exhibebit in nova Jerusalem et templo, mittet ipse me Gabrielem ad gentes, ut eas vobis subigat, que erit nova vestra gloria; et multo majori gloria vestra mittet mei antitypum Christum, qui est virtus et fortitudo Patris, ut Ecclesie suæ, quam ipse in vobis inchoavit et fundabit, gentes antea vobis inimicas subigat, itaque ex Judeis et Gentibus faciat unum ovile, cuius ipse sit pastor, q. d. Post gloriam Jerusalem et Judæorum, succedet per Christum gloria Ecclesie et gentium christianarum. Hæc tertia gloria magis genuina et litteræ innexa videtur; respicit enim ad gloriam que præcessit, quamque promisit vers. 5. Ita Albertus, Hugo, Arias et Sanchez : quin et Chaldeus, sic enim vertit, *post gloriam quam vobis adducturum se dicit (v. g.) misit me ad populos qui vos diripiunt*. Perperam R. David vertit, *postea* (id est post omnes has prophetias) *in gloriam misit me ad gentes*, q. d. Postquam ego Zacharias vaticinatus sum Judeis, Deus amplioris gloriæ causa misit me ad vaticinandum gentibus : hebraice enim est *כִּכְרֹר אֶחָד אַחַר כִּכְרֹר*, id est *post gloriam misit me ad gentes*.

QUI ENIM TETIGERIT VOS, TANGIT PUPILLAM OCULI MEI. — Hebræus, Chaldeus, Septuaginta, et S. Hieronymus in *Comment.*, habent, *oculi ejus*, vel *oculi sui*, ut loquatur de Deo in tertia persona, ac respiciat ad id quod de eo dixit : « Misit me ad gentes. » Huic enim recte respondet in eadem persona : « Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi ejus, » puta Dei. Noster vero interpretes eodem sensu reddidit in prima persona, « oculi mei : » quia accepit hæc de Deo loquente de se

in prima persona, ac praesertim quia respiciat ad sensum precipuum, qui est de Christo, *q. d.* Haec dicit Dominus, puta Filius Dei: post gloriam Judaeorum, scilicet post Ecclesiam quam ex Judaeis collegit, misit me Pater ad gentes, ut illi eas subiciam et aggregem: vos enim, o fideles mei primitivi et quasi primogeniti, ita amo, tutor et custoditio, ut gentes olim hostiles vobis sim subituras; aut si rebelles maneant, perdituras. Qui enim vos tangit, tangit pupillam oculi mei; nihil enim delicatius, carius, pretiosius pupilla, ac proinde nihil majori cura custoditur: lesa enim pupilla, leditur et excaecatur oculus, qui est lumen vite ac dux omnium viae et actionis hominis, ut homo excaecatus miserissimam in tenebris agit vitam, sique instar mortui. Unde pupilla hebraice vocatur *בַּת* *bath*, id est *filia*, eo quod pretiosa, cara, curae et cordi sit, ac custoditur quasi filia unica; quodque oculi sit quasi filia. Quocirca in pupilla est effigies humana, puta filiae, vel filii. Hinc Hebraei eandem alia voce vocant *פִּיטוּלָה* *pitoula*, id est *virgulem*; quia is in pupilla apparet. Alludit ad *Deut.* xxxii, 10: « Custodivit quasi pupillam oculi sui. » Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Lyranus et alii. Aliter S. Cyrillus et Vatablus, *q. d.* Qui tangit vos, tangit pupillam oculi sui, id est seipsum gravissime ledit: quia sibi accessit accerrimum Dei vindictam vestri iram et vindictam.

*Vers. 9.* QUIA ECCE EGRO LEVO MANUM MEAM SUPER EOS, — puta super gentes finitimas et hostiles, ut eas feriam, vobisque praedicae dem et subiciam. Ita subiecit eis Ammonitas, Moabitas, Philistaeos, Samaritanos, Idumaeos tum alias, tum per Judam et Machabeos. Hoc enim mox visuri erant Judaei audientes haec oracula Zachariae, indeque ex reali eorum eventu cogituri ipsum esse verum prophetam, et haec accepisse a Deo, ut ipso asseverat. Ita Albertus, Hugo, Lyranus et Arias.

Mystice, haec veriora sunt in Christo, qui Apostolis a Judea ortis subiecit omnes gentes. Ubi nota conversionem gentium vocari *praedicationem* et *spiritum*, quia eas Apostoli praedati sunt diabolo, carni et mundo, quibus sponte se subiecerant et volentes serviebant, ac subiecerunt Christo. Hinc Isaias cap. viii, 3, praedicit nomen Christi fore: « Accelera spolia detrahere, festina praedari. » Et cap. ix, 3, de Apostolis orbem conversuris ait: « Laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda, quando dividunt spolia. »

Nota *levo manum*, scilicet quasi signifer, imo dux et imperator, prae more, elevata manu signum praehi attollo, et exercitum in hostes ducio. Sic dicitur *Psalm.* lxxiii, 3: « Leva manus tuas in superbia eorum in finem. » *q. d.* Tolle signum tuum, immitte exercitum in hostes tuos, illos bello perseguere, donec omnes ad unum conficias et concidas. Nam, ut sequitur: « Gloriatii sunt qui oderunt te; posterunt signa sua,

signa, » etc.; et *Isaias* cap. vii, 11: « Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum. » Et *Psalm.* cv, 26: « Elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto. » Rursum *Isaias* cap. xlii, 22: « Levabo ad gentes manum meam, et ad populos exalabo signum meum. » Porro signum et vexillum Christi est crux. Quare cum tolli crucem, et eruantur in ea Christum aspexeris, animos praeliandi acue, certaque victoriae spem per Christum concipe.

*Vers. 10.* 10. LAUDA. — Excitavit Synagogam Babylone reudentem in Jerusalem, ad gratiarum actionem et jubilum, quod sensura sit Dei in se habitantis praesentiam, opem et gloriam, adeo ut gentes ipsam visurae et confessurae sint, ideoque suas oblationes et dona oblature Deo in eius templo; quin et non pauci converlendi sint ad iudaismum et futuri procellyti, juxta illud *Psalm.* lxxvii, 30: « A templo tuo in Jerusalem tibi offerent reges munera: » Ita Seleucus rex Asiae alique principes ingentia dona ei miserunt, ut patet II *Machab.* iii, 2 et 3. Ita Remigius, Haymo et Dionysius.

Mystice, multo magis excitat Judaeos, omnesque primos fideles tempore Christi, ut jubilent Deoque gratias agant, eo quod videant Messiam, id est Deum corporatum, visibiliter in medio sui versantem, ibique fundantem Ecclesiam, ad quam mox per Apostolos aggregabit omnes gentes. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Lyranus, Vatablus, Arias et alii.

*Vers. 11.* 11. ET POSSIDEBIT DOMENUS JUDAM PARTEM SUAM IN TERRA SANCTIFICATA. — Ad litteram, *q. d.* Cum Deus tribum Juda (sub qua accipere quoque tribum Benjamin, utpote quae cum Juda in unam rempublicam et Ecclesiam coaduerat) reducet e Babylone, tunc eam quasi partem, id est portionem suam hereditariam, collocahit rursum in terra sancta, puta in Judea, quae sancta est, tum ob templum sanctumque Dei in eo cultum; tum quia in ea vixerunt SS. Patriarchae et Prophetae, ut ibi rursum sit ejus peculum et possessio, uti fuit tempore Moysi, dicens *Deut.* xxxii, 9: « Pars autem Domini populus ejus: Jacob funiculus hereditatis ejus. »

Mystice, Christum partem suam, id est Apostolos aliosque primos fideles, ex quibus conflavit Ecclesiam suam, selegit et possedit in terra sancta, puta Judea; illam enim ipso magis quam omnes Patriarchae et Prophetae sua nativitate et conversatione sanctificavit et consecravat. Ita S. Hieronymus, Cyrilus et alii jam citati.

*Vers. 12.* 12. SILEAT. — Est epithonema. Propheta enim admirans hanc Deum in populum suum beneficentiam, tum litteralem sub Nehemia et Machabeis, tum potius mysticam et spirituale sub Christo, erumpit in profundam reverentiam et doxologiam Dei; ac proclamatur ut omnes eam cum tremore, reverentia, humilitate et gratitudine agnoscant; suspiciant, reverentur, colant et celebrant: « Quia, ait, consurrexit de habitaculo sancto

suo; » Septuaginta, *quia surrexit de nubibus sanctis suis*. Poetice loquitur, *q. d.* Deus *consurrexit*, hebraice *נִסְרָה* *noor*, id est *excitatus est* quasi a somno, *q. d.* Deus visus est dormire, cum nos neglexit et dimisit in captivitate per septuaginta annos, rursum cum dimisit mundum in potestate diaboli per quatuor annorum millia: at jam videns immanes ejus strages, velut somnum excutiens, assumit suum robur et fortitudinem, ac exsurgit ad ultionem, ut populum suum liberet, et cum eo habitat. Ac praesertim allegorice somnum excutit et consurgit, quando Christus e nubibus, imo e caelo vindex robustus descendet in Judam, cum in ea incarnabitur, ut cum Judaeis quibus promissus est habitat, eosque a tyrannide diaboli, peccati et mortis vindicet et salvet. Ita S. Cyrillus, Theodoretus et alii. Hinc olim cum sacerdos procebat ad altare sacrificaturus, praebat diaconus proclamans: « Sileat omnis humana et mortalis caro; stetisque cum metu ac tremore, » uti habetur in liturgia S. Jacobi, sub initium. Vide dicta *Hobae* ii, 20.

Tropologicè, Arias: Sileat, ait, omnis caro quae sors est et scaturigo omnium malorum cogitationum et cupiditatum, ejusque parentis stimulus quiescat, et compescatur a vi et efficacia gratiae Christi, quae universum vitiorum fontem exhaustit.

*Anagoge.* Anagogice, sileat omnis caro a facie Christi veniens ad iudicium, quia consurrexit de caelo, descenditque in vallem Josaphat, ut ibi iudicet

vivos et mortuos, qui unquam exsisterunt, existant vel extabunt in mundo. Ita S. Hieronymus, Haymo, Lyranus et Vatablus. Tanta enim erit tunc Christi majestas, tanta ejus ira in impiis, ut ipsi vultum ejus ferre non sustineant, sed clamant montibus et petris: « Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni. » *Apoc.* vi, 17. Tunc verum erit illud paradoxum: « Veniet tempus, quo damnati nolent egredi ex inferno, et beati volent egredi e caelo; » nimirum hoc tempus est dies iudicii. In illo enim damnati optabunt manere in inferno, ne cogantur venire ad iudicium; partium ne subeant probrum publicum damnationis eorum toto mundo in valle Josaphat; partim ne videant vultum iratum et fulgurem Christi iudicis; partim ne cogantur assumere corpora, in hisque torqueri, cum jam sola eorum anima torquetur. Beati vero in die iudicii optabunt egredi caelo, tum ut sententiam felicissimam audiant: « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi; » tum ut eorum innocencia, virtus et gloria toti mundo, cui olim despecta fuit, innotescat; tum ut corpus suum assumant, in eoque glorificentur, ac cum eo triumphantis Christum gloriosum in eorum descendente comitantur, ejusque vultu fruuntur in aeternum. Gloria enim corporis erit quasi altera stola et corona beatitudinis, quam proinde animo beate ardent appetunt, ut patet *Apoc.* vi, 10 et 11.

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus Jesum filium Josedech jubet exiri vestibis sordidus captivitatis, eoque ac peccati, induitque novis, et cidari, ut significet se ei peccata remittere, et pontificatum reddere, ut templum cultumque Dei restauret. Insiper *vers. 8.* eidem promittit Orientem, id est Christum qui in templo ab eo instaurando sit versaturus, ibique collecturus Ecclesiam, cujus ipse futurus sit pontifex: ipsam enim fore ecclesiam lapidem angularem septem qualis insignitum, ac clariorum vulnerumque sculpturis caelatum, qui auferet iniquitatem terre, et pacem toti orbi felicitatemque conciliabit (1).

1. Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini: et satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei. 2. Et dixit Dominus ad satan: Incepit Dominus in te, satan; et inceperit Dominus in te, qui elegit Jerusalem, numquid non iste torris est erutus de igne? 3. Et Jesus erat indutus vestibus sordidis: et stabat ante faciem angeli. 4. Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferete vestimenta sordida ab

(1) Sequitur in hoc capite emblemata ad Jesum pontificem et Zorobabilem duces cum transitu ad Christum.

In emblemate primo, primo, representatur Jesus coram angelo stans, primo, frustra accusatus a satana, 1, 2; secundo, sordidatum vestimento, sed angeli jussu vestitum novis et ornatum cidari, 4, 5.

Secundo, transit ad Christum, primo, admonitione data Jesu ad fidelitatem in officio cum promissis adjectis, 6, 7; secundo, indicatione de Jesu sacerdote in figuram assumpto, 8; tertio, praenuntiatione adventu Christi quem Orientem vocat, 8; Ecclesiae per Christum fundandae et salutis, 9; quarto, tranquillitatis et pacis securitatis, 10.